

1557
Herculis
Ferrarie
Ducis per
Cymacli
Episcopum
cum Veneti
efficiens.

culo ad opem sibi ferendam impelli posse arbitraretur, Cymacli Episcopum Venetas misit, qui, quo in discrimine Hercules versaretur, significaret: *In concordia Romæ inita præteritum, Hispanorum cupiditati, atque invidie objectum fuisse; qui recentibus in Gallia successibus elati, veteris in illum effundendæ malignitatis ex oblata opportunitate causam pe- terent: eos propediem cum viginti peditum, duobus equitum millibus in suos fines impetum facturos: quocirca Reipublicæ, cuius se semper filium professus esset, opem, atque auxilium implorare: nihil sibi incommodi accidere posse, quin ex eo ali- quid ad ipsam quoque manaret.* Quos enim ab Hispanorum dominandi cupidine satis tutos esse, qui omnem fere Italiam perlustrarint, bellique facibus incenderint? Callide pacis legi- bus comprehensum iri Herculem noluisse, ut statim in ipsum arma inferrent; relictum, desertumque opprimerent. Quorum enim opem, quorum auxilia expectet? Gallorum ne, qui suis rebus veriti Italia decedere coguntur? an Pauli Pontificis Ma- ximi, cuius auctoritate, ac jussu cum fœderatarum copiarum præfecturam suscepisset, ab eo modo desertus est? aliorum ne Italorum Principum, ex quibus Octavius Farnesius belli dux adversus ipsum a Philippo est declaratus? Cosmus novo Sena- rum beneficio obstrictus, magnam peditum, atque equitum ma- num in bellum confert? Unum sibi præsidium in Venetis po- nere; Senatum orare, ut difficillimo, ac periculo tempore il- li præsto esse, opitulari, subsidis juvare velit; vel eniti, ut turbo iste, qui suis ditionibus imminet, concordiae aliqua ra- tione disjiciatur, ac propellantur. Hæc Cymacli Episcopus. In eas enimvero curas, ac solitudines Herculem se demissu- rum, jam tum primum Veneti providerant, cum illum ad Gallorum partes accessisse cognoverant; cui quidem ut neu- tri se obstringeret, suasores semper extiterant. Ipse vero mi- nime, ut solebat, communicatis consiliis, imperii proferendi spe captus, summum præfecturæ honorem sibi delatum avi- de suscepserat. Ea vero utcumque Herculii accidissent, Hispa- norum armis oppugnari moleste Patres ferebant. Verum ne prorsus de concordia desperarent, multa efficiebant: non alienus ab Italica pace Philippi animus; bella, quæ ab eo cum Henrico acerrime in Gallia gerebantur; Pauli Summi Pontifi-

cis